



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Lvdgardis Virg. 16. Iunii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

natos dentes tenerosq; ungues strinxit
in adulatorem suum, luctando effectu-
rus, ne mitior in se, quam in matrem
esset. Et potitus est voto suo; Alexan-
der ad tribunalis gradus victori animam
elisit. Quid mater? nunquam lætior
vultu suum pignus aspexit, idemq; be-
neficium poposcit, ut quam citissimè
eum assequeretur. Impetravit: laniata
ungulis, perfusa pice cervicem securi
subdidit: sed quantumcunque prope-
raret, filius cælum subeunti jam coro-
natus occurrit. *Ex Surio.*

S. LVDGARDIS VIRG.

16. Iunii.

NVlla pulchrior virginitate est vir-
tus, quæ DEVM etiam hominis
facit rivalem. Ambierant LVDGAR-
DIS thalamum complures, nec ignobi-
les terræ filii, & ex his familiarius uni
fortè loquebatur, cum ei sanctior spon-
sus CHRISTVS pectus suum, & in pe-
ctore cor saucium ostendit, & extra
hoc nihil deinceps iussit quærere. Inde
videlicet humana omnia usque adeò
illi jam vilescere, ut præter crucifixi
nullos amores sciret, præsertim ubi ab
eiusdè vulneris nectare ebria, tota jam
ibi habitabat, ubi sanctior amor degit.
Deposuerat DEI MATER apud LVD-
GARDEM querelas suas, quibus filiū
ab Albigenfibus hæreticis iterum in

CIV-

crucem agi dolebat. Hic ut luctum virgo suum testaretur, VII. annorum sibi jejunium indixit, alterumque æque longum pro peccantium salute adjecit, & subinde SPONSVM irato PATRI vidit supplicem, & vulnera velut clypeum pro orbe perituro objicientem. Martyrii desiderio tam bulliebat in amante sanguis, ut arteriam aliquando ruperit, cælumque idem pramium, quod martyribus sponderit. Sacrum epulum adire inter Angelos non semel, quandoque etiam inter MARIÆ, & D. Ioannis comitatum visa est. Antequam obitum oculis orbata, nunquam tamen magis cælestia, quam tum vidit. Moriēti enim cum MATRE, & aliis Cælitibus obviis SPONSVS venit; quibus ducibus in cælos abiens, errare etiā cæca non potuit. Ex Surio & Lippeloo.

S. RAINERIVS C. 17. Junii.

RAINERIVS Pisanus cupiditatum raptu abreptus, ad infames adolescentiæ scopulos naufragium innocentia fecit: enatavit tamen arreptâ poenitentia tabulâ, & Sacerdoti expiandum se stitit. Sed obstitit noxius pudor, ne omnia probra detegeret: donec Angeli voce silentium increpantis animatus bonâ fide se reum peregit. Iudex confesso mulctam nullâ imposuit, professus ejus arbitriū cæleste sibi numen reser-